

rant et cassati a proposito alii mortui, alii inanes regressi sunt. <21>Hos dicit se de hac vita subtraxisse, ne similes nobis efficerentur, corripiens¹ peccatores ecclesie in hunc modum:

<22> „Vos“, inquit, „labiis honoratis me¹³, appellantes me beatam Virginem et matrem Dei et utrumque factis negantes. <23>Si enim beata^m castitasⁿ, cur tam inceste, tam nefande in oculis Dei¹⁴ et meis vivitis? <24>Si mater Dei sum, quare alium a filio meo colitis? <25>Carnem quippe vestram pro summo bono colitis. <26>Et gule vitio ex corde dediti, facti estis tales, de quibus dicit apostolus, „quorum Deus venter est et quorum finis interitus.“¹⁵ <27>Alii – et nimii! – avariciam, que est ydolorum servitus, exercentes, propter ipsum tam multis tamque gravibus malis hodie depressistis ecclesiam, ut nomen Christianitatis nomen potius quam res dici possit et fictio magis quam factio appellari. <28>Et nunc, quia bonitatis divine tempus intravit et stamus in adiutorium vestrum, redite, prevaricatores, ad cor¹⁶. <29>Surgite, qui dormitis, et exsurgite a mortuis et illuminabitur vobis¹⁷. <30>Me habere curam ecclesie et venisse ad expugnationem peccatorum et infidelium hominum operibus comprobabo. <31>In die assumptionis mee, que proxima diei assumptionis filii mei veniet, in qua in transmarinis partibus triumphabunt Christiani, adero et ego fidelibus contra infideles pugnantibus. <32>Adero autem cum pueris, quos videbamini amisisse, sed in alia parte terrarum, et probabo me assumptam esse in celum et regnare post filium meum. <33>Cum vobis tam perfectam victoriam conferam, ut ne unus vestrum cadat in prelio. <34>Filii quoque mei et vestri aderunt cooperantes vobis. <35>Et sicut ipsi a proposito perficiendi itineris defecerunt, sic vos e contrario in proposito expugnandi hostes proficietis, ut, quemadmodum illi alii mortui, alii in confusione reversi sunt, sic vos alios hostium occidetis, aliorum terram cum gloria intrabitis. <36>Et quia numerus fidelium per eos imminutus videbatur, hoc vobis sic recompensabitur, ut, quia illi fuerunt grana tritici cadentia

l) Die Buchstaben ri über der Zeile ergänzt.

m) Danach die Doublette gestrichen:

beata. n) Zu ergänzen: sum.

13) Vgl. *Matth. 15.8 u. Marc. 7.6*: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

14) Vgl. *Sir. 11.23 u. 18.26*: [...] in oculis Dei [...].

15) Vgl. *Philipp. 3.19*: quorum finis interitus, quorum deus venter est.

16) Vgl. *Isai. 46.8*: redite, prevaricatores, ad cor.

17) Vgl. *Cantus-Index* (www.cantusindex.org), Nr. 1163: Surgite, qui dormitis, et illuminabit vobis Christus.